

E 143/9

DE
BONO TEMPERANTIAE.



AUTORE
CAROLO AB ERDŐS,
STUD. THEOL.

„NE QUID NIMIS“.

DISSERTATIO IN CERTAMINE LITERARIO CIVIUM ACADEMIAE
DEBRECINENSIS REFORMATORUM HUNGARAE GENTIS ANNO SCHOLASTICO
1908—1909 EX SENTENTIA DOCTISSIMI SENATUS ACADEMIAE PRAEMIO
HATVANIANO ORNATA.



DEBRECINI,
MCMXI,



DE BONO TEMPERANTIAE.



AUTORE
CAROLO AB ERDŐS,
STUD. THEOL.

„NE QUID NIMIS“.

DISSERTATIO IN CERTAMINE LITERARIO CIVIUM ACADEMIAE
DEBRECINENSIS REFORMATO RUM HUNGARAE GENTIS ANNO SCHOLASTICO
908—1909 EX SENTENTIA DOCTISSIMI SENATUS ACADEMIAE PRAEMIO
HATVANIANO ORNATA.



DEBRECINI,
MCMXI,

E 143/g.



DE BONO TEMPERANTIAE.

Caput I.

Hoc opusculum in tria capita dividitur, quorum hoc primum formulas et definitiones Aristotelis, Ciceronis et Pauli apostoli continet, quibus ipse scriptor expositionem simplicem adiungit.

Quid sit temperantiae definitio?

Ante omnia inquirendum est, quatenam sub hac voce temperantiae est subiicienda sententia? Haec vox, de qua agitur, iam apud scriptores graecos vetustatis saepissime obvenit, inde e. g. ab Homero *σωφροσύνη* mentis sanitatem significat et ei opponitur *μανία*¹. Plato, qui quum clare et subtiliter quae sentit exprimat, usurpare solet et definitionem, in hac thesi: *ἡ σωφροσύνη ἐστὶ καὶ ἡδονῶν τινῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια*², virtutis igitur species est temperantia ad frenandas cupiditates, ut a nulla voluptate subigamur, honesteque vivamus³. Amplissime et optime disserit de temperantia Aristoteles, qui totam sententiarum rationem, quacum connexa sit, perlustrat, dicens: *σωφροσύνη δὲ ἀρετή, δι'*

¹ Xen. Mem. 1 1 16. — ² Rep. 4 430. — ³ Diog. Laert. 3 57.

ἦν πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῦ σώματος οὕτως ἔχουσιν, ὡς ὁ νόμος κελεύει, ἀκολασία δὲ τοῦναντίον¹, scilicet: temperantia virtus, qua ad voluptates corporis ita sunt, ut lex iubet, huic adversatur intemperantia; idem, quod ad etymum huius vocis attinet, putat σωφροσύνην esse dictam, quasi σώρυσαν τὴν φρόνησιν, scilicet tamquam intelligentiae conservatricem², qua in re ei assentiri videtur Stephanus in thesauro linguae graecae suo, qui σώφρων dictum esse existimat, quasi σώς τὴν φρένα et σαόφρων poëticum esse σάος τὴν φρένα.

Verbum σωφρονέω = sum sanae mentis, sum compos mentis, ut quum a Platone³ σωφρονῶν et μακίς opponuntur. Interdum et pro prudens sum seu prudenter me gero, modice fero⁴. Ceterum σωφρονεῖν et in plerisque veterum scriptorum locis poni constat pro modestia et temperantia uti, item esse moderatum vel temperantem aut continentem; σωφρονικῶς adverbium autem significat, ut decet eum, qui est σωφρονικός.

Cicero et Aristotelis sententias de hac virtute probat et cum eo in eo consentit, esse temperantiam illam partem honestatis, in qua omnis sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. Sed aliam quoque expositionem propriam huius vocis, respective significationis tradidit in libris, De officiis quos scripsit, quibus omnem bene vivendi rationem complexus, copiosius docuit, quid deceat, quid non? Ille insolubili nexu jungit honestum et decorum, et consentionem affectuum, sicut item conatus voluntatis decoro, quod graece πρέπον dicitur-

¹ Rhet. 1 9 9. — ² Ethic. 6 5. — ³ Rep. 1. — ⁴ Rom 12 3.

subiicit et in genere definit: „Decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat“; et speciatim „id decorum esse, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quodam liberali“¹.

Ad declarandas formulas supra traditas addimus sententias Pauli apostoli de temperantia, qui, quum pathetice disseruisset coram rege Agrippa ad feriendum et permovendum eius animum, respondebat ad procuratoris Festi dictum alludens: „Non insanio — inquit — sed veritatis et sanae mentis verba — σωφροσύνης ῥήματα — loquor“². Hic σωφροσύνη opponitur τῇ μανίᾳ et significat mentis sanitatem, quae a Latinis opponitur dementiae. Alibi ipse vult, ut ad pudorem et temperantiam compositus sit mulierum ornatus³, mox autem temperantiam latius ad alias vitae partes extendit⁴ et saepissime commendat eam omnibus, ubi de ordine rerum et temporum opportunitate docet.

Ex his locis similibusque aliis, qui in operibus scriptorum graecorum et latinorum ac in epistolis Pauli occurrunt, manifeste colligitur, temperantiam esse moderationem naturae, ordinem et harmoniam actionum, item εὐταξίαν id est ordinem conservationis adeo, ut „omnia sint apta inter se et convenientia“. (Cicero.)

Quae quum ita sint, disseramus congruenter convenienterque proposito nostro de bonis variis temperantiae, quae est mediocritas circa volu-

¹ De Off. lib. 1 c. 27 editio Hildebrandi, Lips. 1690. —

² Act 26 25. — ³ I Tim 2 9. — ⁴ v. 15.

ptates corporis, ex gustu tactuque quae percipiuntur, item moderatio affectuum, qui ad animum et voluntatem pertinent.

Perlustramus speciatim eius species, nempe abstinentiam, sobrietatem, castitatem, pudicitiam etc., simul et oppositas huic transgressiones, quae sunt intemperantiae species, scilicet voracitas, ebrietas, libido. Postremo ad tractationem nostram imprimis pertinere puto breviter de educatione ad temperantiam agere.

Caput II.

Post definitionem scriptor ad tractationem pergreditur et in hoc capite exemplis potissimum agit de temperantia cibi, sobrietate potus, castitate Veneris, cui adiungitur expositio de generibus intemperantiae variis cum adhortatione ad conservandam moderationem in omnibus actionibus et rebus, denique in omni vita.

De bono temperantiae.

Transeamus ad sequentia, in quibus de sobrietate α) in cibus, β) in potu, itidem γ) in omnibus cupiditatibus agitur.

Sane licet edere et bibere, licet etiam laetari et exhilarari, sed in istis omnibus modum oportet adhiberi.

α) Quod ad convivia attinet, modus ita servandus est, ut sine avaritia et tenacitate sobrietas locum obtineat. Vituperanda est itaque tenacitas, experientia enim docet parcos homines etiam maligne genium fraudando nihil proficere; vitanda est altrinsecus in cibus superfluitas, nam superfluis cibus peccabitur, nec modus in edendo tenebitur, sed violabitur sobrietas; vitanda est et luxuria, luxuriam

enim plerumque paupertas, aut multa eiusmodi incommoda comitantur.

Ex consuetudine veterum temporum apparet, ipsos hospites laute excipiendos vitulo pascuale interfecto satiatos et contentos fuisse pro omnibus cupediis, quae sunt hodie multiplices¹. Nam hodie non instituuntur convivium, nisi ex variis undique conquisitis delicatis cibis et multos ante convivium dies praeparatis. Hinc videmus nostrorum temporum longe maiorem esse, quam superiorum; corruptionem et procul abesse ab illa sobrietate, quae fuit in veteribus, ut sit maior ebrietas, heluatio, deliciae, voluptas, quam olim. Quare inde simul et discimus appetitus, ne, ut plerumque accidit, insatiabiles sint, frenare et vitae tenuiori assuescere.

Antequam autem mensae assideamus cibum sumturi, Deum precemur, ut nobis det eam sobrietatem servare, qua eius bonis sustentati tanto aptiores simus ad ipsius cultum: ne escis gravemur, sed ad necessitatem utamur, quo melius studiis omnibus incumbamus. Multi putant, Dei nullam fieri oportet mentionem in cibo capiendo. At quum Deus det pãni vim nos alendi et sustentandi, an non ita benevolentiam suam erga nos testatur? Propterea Dei meminisse inter convivendum nos semper decet².

β) Simili modo hortatur nos Scriptura sacra, ut in potu temperantiam servemus, nequid per luxum et immoderate faciamus, quod intemperantia et vini abusu in vitia et flagitia multa impella-

¹ Cf. narrationem de rege Saul in I Sam 28 20—25. — ² Cf. Calvinii Comm. in Job.

mur. Licet Deus vinum crearit, ut exhilaretur cor hominis, sicut ait propheta in Psalmo 104. versu 15.: nihil autem proclivius est, quam hac Dei beneficentia ad luxum abuti.

Idcirco vino Deus hanc vim indidit, ut cor hominis exhilaret: sed intemperantia et illius abusus est intolerabilis et (si liceat mihi Calvinii verbis usurpare) vindictam exoptulat a Domino terra ipsa, quasi sanguis ipsius temere funderetur.

Sed videtur mihi, quasi alcoholistae obiicerent, vinum datum esse non tantum ad cor humanum sustentandum, sed etiam ad illud exhilarandum, ergo gaudeamus et bibamus, nam

„Post iucundam iuventutem,
Post molestantem senectutem
Nos habebit humus“.

At pellem his heluonibus detrahere non est difficile. Hypocritae isti libertatem Dei erga humanum genus in occasionem dant carnis et desideria carnis perficiunt, conditionis suae limites transiliunt, sub praetextu hilaritatis sese tanquam sues in voluptatem coeno et in omni dedecore volutant, denique quantum in ipsis est, Dei imaginem, ad quam erant creati et formati, ab ipsis delent. Et si quis alcoholista interrogatus de alterius ebrietate fuerit, saepissime respondet, hilarem fuisse. Recte docet et monet de hac thesi Calvinus in interpretanda historia Nabalis, qui suo tempore terribilis compotor fuit et dedecore ignominiaque obrutus mortuus est¹.

¹ Cf. I Sam 25.

Multa istius modi exempla et hodie sub omni coelo, praecipue in patria nostra occurrunt. Videmus pro dolor! amentes iuvenes, qui suae conditionis obliviscuntur et praeter mensuram sese vino ingurgitant adeo, ut nullum consilium malis suis admittant, denique obruti vino et potu, quasi hebetes errant et labuntur.

Longior tractatio de ebriosis et compotoribus, qui violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendent¹, et ad tempus omnem humanitatem exuisse videntur, brevitati cui studeo, non congrueret; itaque breviter strictimque facio mentionem de consiliis, decretis et mediis, quibus civitates vinolentiam frenare et temperantiam colere conantur. Congregationes de propaganda temperantia in America et Britannia summa ope nituntur hanc pestem et perniciem humani generis depellere et in hac parte pervulgatam, laudabilem et insignem imitationem exempli orbi terrarum produnt.

Ab hinc quadraginta annos in diurnis commentariis rerum publicarum et in popularibus scriptis depugnatur in illis civitatibus adversus ebrietatem et carnales cupiditates et iam hodie in plerisque locis non in irritum cadit labor et agitatio in his regionibus. Accurate cogitateque scripserunt de hac re multi periti viri, qui historice, speciminibus et supernumerariis testimoniis demonstrant, quod pro dolor! nimis quotidiana experientia ostendit, quales poenas meritas immoderati et intemperantes heluones habent, quibus nunciatum est, quemadmodum et

¹ Livius.

veteribus, dicendo : „Visito iniquitatem patrum in filios, in nepotes et in abnepotes“¹.

Quid ergo dicemus ? permanebimus in consiliis et decretis civitatum, aut meliora et efficaciora media revisemus ? Quaeramus nunc primum prophetas et apostolos, quid in re temperantiae vi Scripturae sacrae facere possimus ? Constat omnibus, quondam ad coërcendam ebrietatem et omnem libidinem ac intemperantiam varias fuisse ieiuniorum formas vel consuetudines cum in vetere, tum in novo testamento. Interim non placuit Deo, ut videre est in prophetarum libris, ieiunium, quo a cibo et potu, non a sceleribus ieiunabant Judaei². Sicut enim Bullingerus nos docet³ : ieiunium esset aliud nihil, quam abstinencia et temperantia piorum, disciplina item, custodia et castigatio carnis nostrae, pro necessitate praesenti suscepta : qua humiliamur coram Deo et carni sua fomenta detrahimus, quo facilius libentiusque spiritui pareat. Quod si ita sit, in ieiuniis omne id detrahendum esset carni, unde redditur ferocior, et quo delectatur impensius. Unde existunt fomenta carni, sive pisces sint, sive carnes, sive aromata, deliciaeve aut praestantia vina. Scimus autem creaturas Dei omnes conditas esse in usus et servitia hominum et apostolus Paulus dicit : „Omne, quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam“⁴, item : „Quidquid creavit Deus, bonum est et nihil reiiciendum, si sumatur cum gratiarum actione“⁵. Idem rursus monitis suis ad Timotheum adjunxit : „Noli adhuc

¹ Exod 20 5. — ² Jes 1 11; Jer 14 12; Zach 7 5. —

³ Helv. Conf. II. cap. 24. — ⁴ I Cor 10 25. — ⁵ I Tim 4 4.

aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates“¹. Ex omnibus hic dictis apparet etiam caeco, Scripturam sacram ubivis nos mediocritatem docere; nam quod ad esum ciborum pertinet, initio ponit generalem sententiam, sana conscientia licere vesci quibuslibet, quia Dominus permittit; secundo libertatem hanc temperat, quod ad usum, ne laedantur infirmæ conscientiæ. Invicem traditur generalis regula, sic in cibo et potu temperandum nobis esse, ut singuli valetudinis suæ rationem habeant, non vitæ prorogandæ causa, sed ut quamdiu vivunt, Deo et proximis frugi sint atque utiles (Calvinus). In hac parte sententiæ apostoli consonat opinio Aristotelis, qui in quodam loco dicit: Et immoderatae, et pauciores aut remissiores aequo exercitationes vires minuunt et corrumpunt, itemque poculenta et esculenta aequo copiosiora ac pauciora valetudinem laedunt ac perdunt, at vero moderata efficiunt, augent ac tuentur. Temperans ergo fugit voluptates et moderatur consilia ac voluntatem non voluptate sed officio et decoro.

Existimo illam doctrinam Evangelii et hanc sententiam sanæ philosophiæ moralis ubicunque valendam esse, si ecclesia et civitas dextras dextris iungerent neque concederent, quod hæc recte dicta monita sordiduli heluones in malum convertant ut bonum corrumpant. Tales quosdam enim reperies. Ideoque prædicandæ et meditandæ crebro sunt sanctæ adhortationes et admonitiones, quibus a

¹ I Tim 5²³.

luxu et intemperantia iubemur abstinere ; vicissim civitas, respective magistratus vocationem habet, malorum illorum ebriorum petulantiam vi comprimere, qui legibus divinis et civilibus sponte regi se non patiuntur et poenas sumere de eorum flagitiis, quas Dei iudicium requirit. Cur non posset exemplum Svediae et alibi sequi, quod scilicet ebriosi et vinolenti sanabiles custodiantur conclusi in sanatoriis ad sperandam resipiscentiam et convalescentiam ? Aut cur non possit, sicut in America et in Europaeo orbi ianuis deversoriorum ac deverticulorum ad immodicas potationes prohibendas praefigi : „Nolite inebriari vino, in quo est lascivia : sed impleamini Spiritu sancto ! ?“¹ et : „Ne sis ex ebriosis vino, et comessatoribus ingurgitantibus carne sese : nam ebriosus et comessator pauper fiet et pannunculos induit dormitator“².

Temperantia in cibo et potu sobrietatem, sanitatem et salubritatem corporis atque animi parit, intemperantia autem, praesertim ebrietas et vinolentia minuit, corrumpit et denique ad nihilum redigit vires, honestatem ac ipsam vitam.

γ) Pergamus iam ad continentiam in voluptatibus et cupiditatibus, quam quoque bonum temperantiae habeas.

Aristoteles continentiae (ἐγκράτεια) in numero rerum bonarum et laudabilium mentionem facit, de incontinentia autem in malarum et vituperabilium ; tum videtur „idem esse continens et qui facile in eo permanet, quod ratio praecipit : idem quoque

¹ Eph 5₁₈. — ² Prov 23₂₀ sq.

incontinens, atque is, qui facile desciscit a iudicio rationis. Tum incontinens quidem sciens res esse malas, agit eas tamen perturbatione animi concitatus : continens autem, quia cupiditates esse turpes et malas intelligit, a ratione revocatus, eas non sequitur“. Sic ille. At quid sit voluptas et cupiditas ? Voluptas ex plurimorum sententia cum beatitudine est copulata in veteribus temporibus, itaque μακάριον beatum ἀπὸ τοῦ χαίρειν, a gaudendo nominarunt. Sed apostolus Petrus¹ damnat omnes lascivos et intemperantes homines, qui velut irrationabilia pecora, voluptatem existimant diei delicias, qui oculos habent plenos adulterii et incessabilis delicti. Item de cupiditate dicit Jacobus², quod cupiditas (Vulg. concupiscentia) cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.

Ex his sententiis apparet, quid mali pariat intemperantia, nempe ἀσωτία, quo nomine intelligo lasciviae omnia genera et dissolutiones ; e contra et altrinsecus quid boni proferat temperantia, „ea virtus cuius proprium est motus animi appetentis regere et sedare semperque adversantem libidini moderatam in omni re servare constantiam“³.

Quamobrem dico alias voluptates genere esse bonas et honestas, posito, quod illis temperanter utimur, alias autem esse malas, quae ad corpus pertinent, et cum cupiditate carnis et dolore coniunctae sunt. Voluptates bonas, quin etiam affectus optabiles et expetendos noncupo habitus animi erecti

¹ II Pet 2 13. — ² Jac 1 15. — ³ Cic. Tusc. 3 8, 17.

naturae modo atque rationi consentaneos, quos *στοργὰς φυσικὰς* vocant, verbi gratia victoria, gloria, honor, amor patriae, affectus quo parentes prosequuntur liberos et liberi vicissim parentes, taliaque bona. Sane eos, qui in illis videntur versari, non dicimus absolute nec incontinentes, nec intemperantes, posito, quod certas naturae et rationis fines non transiliunt.

Cicero ipse dicit: „Trahimur omnes laudis studio et optimus quisque maxime gloria ducitur“. Et testante Scriptura sacra, honoris nomen latius patet, quam obedientiae: „Honora patrem tuum et matrem, quod est mandatum primum cum promissione“¹; item pro omni genere, nam nullum est ad alienandos animos efficacius venenum, quam ubi quis contemni se putat, idcirco ait: „charitate fraternitatis invicem diligentes honore invicem praeventientes!“². Nomine *ἀγάπη* simili modo utuntur generatim omnes apostoli, qui de amore hominum in deum, dei in homines, parentum erga liberos et vicissim, hominum in homines saepissime et erecta voce loquuntur: „Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorate!“³

Tametsi autem philosophi, poëtae et rhetores in vetustate non quamvis gloriae appetentiam damnant, tamen in gloria cupienda praesertim servanda est temperantia, vituperandos enim puto omnes illos, qui aliter, quam monet ratio, aut vincuntur ab aliquo eorum, aut praeter rationem et contra legem Dei aliquid persequuntur, quod est natura

¹ Eph 6 2 — ² Rom 12 10 — ³ I Pet 2 17.

bonum et honestum. Idcirco nimiam cupiditatem honoris, scilicet *κενοδοξίαν* apostolus cavendam docet¹, in eo sensu, sicuti Kölcsey dicit : „Hirt és dicsőséget vadászni hiúság“. Et quem lateret testimonium experientiae, cum quibus casibus et periculis amor proximi inordinatus sit coniunctus, praesertim ubi vinum regnat. Dico igitur omnes, qui in his voluptatibus, aut si vis cupiditatibus praeter rectam rationem modum superant, incontinentes, intemperantes, vanos et inanes homines.

Multo plura vitiorum oriuntur ab iis cupiditatibus, quae solum ad corpus pertinent; verbi gratia, radicem omnium malorum dicit Paulus apostolus avaritiam *φιλαργυρίαν*², hanc sceleratam habendi cupidinem, quia nulla sit malorum species, quae non ab ea quotidie scaturiat : ut sunt innumerabiles fraudes, fallaciae, periuria, circumventiones, rapinae, crudelitas, corruptelae in iudiciis, lites, odia, veneficia, caedes, denique omnes fere nocendi artes (Calvin). At qui virtutem temperantiae praestat, in acquisitione bonorum non appetit res alienas, cavet et avertere studet alterius detrimenta, custodit res bene partas in usum suum et suorum, neque plus expendit, quam quantum videt opus esse.

Similiter ab intemperantia oriuntur depravationes affectuum, scilicet omnis laesionis cupiditas et iniusta laesio proximi atque ira, invidia, odium, rigor immodicus, propensio ad ea, quae prohibita sunt lege et caetera huiusmodi peccata.

Quicumque eis rebus moventur, sunt immodici

¹ Gal 5 26. — ² I Tim 6 10.

et iudicabuntur per legem divinam pariter et humanam. Temperantes autem cavent diligentissime causas offensionum atque occasiones discordiarum et ortas student tollere, non ardent cupiditate vindictae, sed condonant offensas etiam graves, etiam inimicis. Haec moderatio sit nota omnibus hominibus.

Et quid adhuc dicam ? Deficiet enim me tempus enarrantem de vitiis, flagitiis, atrocitatibus et eiusmodi perturbationibus, in quibus versantur intemperantes ; rursus mallet enumerare bona ea temperantiae, quae et in civitate et in singulis momentis rerum humanarum late patescunt. Sed satis sit mihi in praesenti adhuc de moderatione in carnalibus voluptatibus breviter disserere.

De libidine et scortatione generatim atque universe saepenumero narratur cum in vetere, tum in novo testamento ; plus satis enim notum est, quam effrenis passim grassata sit licentia scortandi. Praesertim apud Orientales nimis invaluerat hic morbus : ut sunt magis ad libidinem propensi. Consuetudinem concubinatus tantam sibi fecerant gentes, ut prope modum instar legis foret. Paulo apostolo recensente genera libidinum, mentionem facit talium scelerum et terribilium flagitiorum, a quibus natura nostra humana abhorret¹, ut sunt confusiones specierum et sexuum, item sexus foeminei abusus. Eodem admonente fideles, adversus quae vitia militandum sit eis, adulterium et scortationem ponit primo loco, deinde nominat immunditiam, quae ad omnes impu-

¹ Rom 1.

dicitiae partes extenditur¹. Nominato autem primo loco adulterio tamquam specie omnium, quae castitati repugnant, crassissime, simul monstrat temperantiam, hanc matrem et nutriculam omnium aliarum virtutum, sine qua non possemus servare modum naturae, honestati et rectae rationi, ordini item personarum locorum et temporum convenientem, in rebus ad corpus pertinentibus (Ursinus).

Et sane, si ponderemus varias libidinum carnalium species, item tam antecedentia quam consequentia vitia scortationis, quae salubritatem corrumpunt, saepe morbos gignunt, et corpus quoque ipsum immutant atque nonnullis hominibus etiam furores conciliant: haud dubie praestantius et probius medicamentum huic morbo adhibere vix possemus, quam temperantiam. Sicuti enim in quodam loco legi, ut fortitudo externum hostem depellit, ita temperantia internum, nempe cupiditates coercet, animi moderatrix². Haec virtus autem eximiam vim et auctoritatem invenit in coniugio ab ipso Deo instituto.

Nolo in hac re verbosior commorari, itaque ut hanc rem summam et tamquam uno verbo complectar, praecipue iuvenes crebro admonendos et adhortandos existimo: „Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut vos abstineatis ab omni scortatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore, non in affectu concupiscentiae, quemadmodum et gentes quae non noverunt Deum“³ et „Sectamini castitatem, sine qua

¹ Gal 5 19. — ² Cic. ep. I ad Qu. Frat. — ³ I Thess 4 3.

nemo videbit Dominum¹. Discitote iuvenes mature iniicere frenum vestris cupiditatibus, nam ubi ignis accensus est, non facile extinguitur et diabolus suggerit semper lignum, vel addit oleum camino, quemadmodum dicitur. Quamobrem exserite omnem conatum, ac in medium proferte. Rursus coniuges officia communia et mutua praestare, fidem coniugalem servare debent, ut solus solam et sola solum constanter diligat. Quando hoc negligitur, in usum legitimum coniugii gravissime peccatur. Denique omnes in hoc ipsum omne studium applicantes, subministranto in fide virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia vero temperantiam et in temperantia patientiam!²

Caput III.

De educatione ad temperantiam.

Si, quod nemo neget, temperantiam necessarium aliarum virtutum complementum comprobamus, nihilo minus liberos et iuvenes ad hanc virtutem educandos esse debemus. Proposita sunt enim et in vetustate illustria virtutis nobis exempla, verbi gratia praeclara quaedam virtus erat in Curio, in Fabricio, comitas et liberalitas in Scipione, tolerantia in Fabio, fortitudo in Alexandro Magno, sed sane hi omnes praecellentes viri et multi alii hominum multo maiores fuissent, si illos, sicuti Catonem, simul et temperantia ornavisset. Hanc virtutem Graeci sibi labore comparaverunt; in-

¹ Heb. 12. 14. — ² II. Pet. 1. 5. sq.

stinctus moralis eorum erat maior, quam cultus deorum, qui saepissime, ut praesertim Jupiter, intemperantiam aperuerunt.

In educatione liberorum ad temperantiam norma optima aestimari potest imprimis haec sententia Ciceronis : „modus est optimus decus ipsum tenere, nec progredi longius“. Eximium ergo quoddam et praestans propositum eis sit se semper decoros valere debere. Omni ratione, praecipue autem exemplis parentum colenda et conservanda est moderatio, iuxta dictum Salomonis : „Ornamentum filiorum sunt patres ipsorum“¹, quasi diceret : filii decorum discunt ex bonis patrum exemplis, imitantur virtutes eorum, voluntque formatos ad mores paternos esse ; at pater libidinosus et intemperans docente experientia filios habebit sibi similes, sicuti fertur vulgari proverbio : mala ova malorum corvorum. Rursus ἐπὶ τὸ πολὺ verum est hoc dicterium : „Qualis mater, talis filia eius“², nam matronae, quae virtutibus excellunt, pudicitia, modestia, sobrietate, vigilantia filias sibi ipsis similes habent, et invicem saepe hoc usu eveniet, ut mulier scelerata filias habeat sibi similes. Hoc autem contigit non tantum natura, sed magis educatione.

Quod ad singula attinet, parentes, praeceptores, tutores et omnino qui officio educationis funguntur, non in artibus tantum tradendis et linguis plurimum temporis studiique ponant, sed honestatis etiam praecepta et temperantiae regulas teneris puerorum

¹ Prov 17 6. — ² Ezech. 16. 44.

mentibus instillent, et iuventutem, a cuius religiosa et morali educatione universae pendent civitatis decora et ornamenta, a prima adulescentia omni generi moderationis assuescant, nam „quo semel imbuta recens, servabit odorem testa diu“¹.

Jam in ludis puerilibus deligendis modus est retinendus et parentes observare debent, ne in his rebus nimios sumptus faciant, aut liberis suis noxias oblectationes permittant. Μηδὲν ἄγαν, hoc dictum valeat in omni re ab initio usque ad finem educationis familiaris et scholasticae. Pueris ergo tantum eam licentiam ludendi damus, quae eos alicui turpitudini non immisceat, imo magis ad elucendum aliquod probi ingenii eorum lumen prosit.

Ut autem et in corporibus magnae dissimilitudines sunt, ita et in animis magnae varietates existunt; quamobrem paedagogi summa ope niti debent, ut inter pueros et iuvenes aequabilitatem quamdam universae vitae conservent. Ideo nos quoque principium et rationem educationis moralis comprobamus pro secundo hanc sententiam: Ὅτι μόνον ἀγαθόν, τό καλόν, quod honestum sit, id solum bonum esse. Ad hanc normam consideremus, quae sit moralis excellentia et dignitas in homine et hoc modo severe et constanter custodiamus modum in omni vita, in moribus, actionibus, habitu et cura ac studiis eorum, qui inferioris sunt aetatis.

Emicante autem et ostendente voluntate in aetate adulta, imprimis operam dare debemus, ut quisque puerorum, respective iuvenum et virginum

¹ Horat. Epist. lib. I ep. 2.

modum adhibeat in iis, quae optet, velit, speret aut studeat ipsi adipisci. Instituendo et docendo educemus, exemplisque ducamus, aut pro necessitate castigemus adolescentes, ut quisque eorum de tuenda valetudine et temperata victus ratione cogitet, atque unusquisque intelligat intelligendoque veritatem perficiat huius sententiae : „*ἡγιάζειν ἄριστόν ἐστι, δεύτερον τὸ καλὸν γενέσθαι, τρίτον τὸ πλουτεῖν ἀδόλως*“, est sanitas res optima, altera forma egregia, tertia divitiae nulla fraude quaesitae¹.

Profecto virtus continentiae et moderationis in victu omni depellit daemones comessionum, ebrietatum, voluptatum carnalium et his similibus, adversus quae vitia militandum est omnibus bene educatis iuvenibus, nam : „Venerem esse praecipuam memoriae pestem clamitant omnes“ ait Melanchthon² ; rursus angelus castitatis servet munditiam animi et corporis atque vitat omnes libidines a Deo prohibitas et harum causas, occasiones et effectus ; idcirco haec virtus sit ornamentum splendidissimum virginibus una cum verecundia, sanctificatione et omni honore. Haec bona temperantiae quacunque ratione voluptatibus et delectationibus anteferenda sunt.

Verbum pro verbo exscribimus et quasi legem moralem aeternam inscribimus cordibus omnium, ad quos pertinet hoc monitum Ciceronis : „Maxime haec aetas (scilicet iuvenum) a libidinibus arcenda est exercendaque in labore, patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et civilibus

¹ Plato in Gorg. — ² De anima.

officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae : quod erit facilius, si eiusmodi quoque rebus maiores natu interesse velint¹. Haec ille¹.

Seneca autem ita monet unumquemque iuvenum : „Debellandae tibi sunt voluptates, quae saeva quoque ingenia ad se rapuerunt, has exturba et invisissimas habe, quae in hoc nos amplectuntur, ut strangulent². Sed etiam senes observare debent, quae eos deceant, quaeve non, „luxuria enim cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem et libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium imprudentiorem intemperantiam³.

Et quid adhuc dicam ? Aristoteles in Rhetorica et potissimum in Ethica, Cicero in libello De Officiis, Plutarchus in opusculo „ De puerorum educatione⁴, paedagogici illustres scriptores, praecipue Eduardus Böhl, aliique de hac these accuratissime disseruerunt, scriptaque eorum et laudo et admiror et studiosissime legenda esse censeo, neque erubesco, si eos in hac lucubratiuncula imitatus sim. Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, ne fatigemur in colenda et propaganda virtute moderationis. Doceamus, moneamus et instituamus iuventutem ad deligendam εὐταξίαν, id est ordinis conservationem et εὐκαιρίαν, scilicet tempus actionis

¹ De officiis I cap 34. — ² Ep. 55. — ³ Cicero l. c. —

⁴Forditotta Hatvani Pál.

opportunum, et si quid dedeceat in aliis, vitemus et ipsi. Omnis actio careat temeritate, appetitusque omni perturbatione animi. Fugiamus in rebus prosperis fastidium et arrogantiam, in rebus arduis autem servemus mentem aequam¹. Sententias acutas crebrasque sapientum et celebratorum virorum non solum ex memoria enumerandas et recitandas curemus, sed etiam virtutibus respondentem, rectam, honestam et christianam vitam iuventuti ad imitandum exponamus et probemus. Atque secundum monitum apostoli in hoc ipsum omne studium applicantes, subministremus in fide nostra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia vero temperantiam².

Faxit Deus.

¹ Cf. Hor. Od. 1. 3, Carm. 2. et 10. — ² II Pet 1 5 .

Fontes et subsidia.

1. Biblia Sacra.
2. *Aristotelis* De arte Rhetorica libri tres, cura Christophori Schraderi ed. III. Helmaestadi, 1672.
3. *Eiusdem* Ethicorum ad Nicomachum libri decem, cura Samuelis Rachelii. Helmaest. 1660.
4. *Ciceronis* libri tres de officiis, cura Hildebrandi. Lipsiae, 1690.
5. *Calvini* commentarii in libros V. et N. testamenti. Amstelodami, 1667.
6. *Ed. Böhl*, Allgemeine Pädagogik, Wien, 1872.
7. *Confessio Helvetica posterior* ab Henrico Bullingero conscripta, edidit Ed. Böhl. Vindobonae, 1866.
8. *Plutarchi* De puerorum educatione, edidit Christ. Juncker. Lipsiae, 1704. — Hungarice Hatvany Pál. Buda, 1793.
9. *Stephani* Thesaurus graecae linguae. Paris, 1572.
10. *Pape*, Griechisch-deutsches Handwörterbuch II. Aufl. 3 Bde. Braunschweig, 1849.

Loc: I 153
1911

